

nibus neglexerunt, imputari potest. Nequaquam tamen compa-  
randus hic error, totius huius temporis à Babylonij ad nos, cum  
illo, qui est 22. secundorum dicti in ter Ptolemæum, & Albategnium.  
Quod autem necesse fuerit inter Hipparchum, & Ptolemæum, di-  
em minus parte vicesima intercidere, inter hunc & Albategnium  
7. ferè deficere, non sine summa voluptate, ex prædicta motuum  
stellarum ratione, & ipsius D. Præceptoris, De Motu Solis tracta-  
tionetibi, Doctissime D. Schonere, collegi, vt paulò post vi-  
debis.

*De mutatione obliquitas Eclipticae.*

*Ptol.lib.1.cap. 22. Almag.*

*Coper.lib. 3. cap. 6.*

Mutationem maximæ declinationis hanc rationem habere  
D. Doctor Præceptor meus reperit: vt dum motus diuersitatis stel-  
larum fixarum semel completeretur, dimidia obliquitatis contin-  
geret. Quare & integrum mutationis obliquitatis revolutionem  
in 3434. annis Aegyptijs fieri constituit. Timocharis, Aristarchi, &  
Ptolemæi temporibus mutationem obliquitatis in tardissima va-  
riatione fuisse constat, adeò vt immutabilem maximam declinatio-  
nem crederent, semper  $\frac{11}{93}$  partes circuli magni. Albategnius post  
hos, 23 grad. 35 minut. ferè, sua ætate prodidit. Deinde Arzahel post  
eum 190. ferè annis, 23. grad 34. minut. Prophatius Iudæus ab hoc  
iterum 230. annis, 23 grad 32. minut. Nostra autem ætate non ma-  
ior 23 grad. 28 min. cum dimidio appetet. Proinde cum clarum sit,  
in 300. annis ante Ptolemæum, motum mutationis obliquitatis  
tardissimum fuisse, ab hoc verò ad Albategnium, per 750. annos,  
ferè, decreuisse per 17. minu. & ab Albategnio ad nos in 650. annis  
saltē per 7. minu. sequitur mutationem obliquitatis fieri, quem-  
admodum planetarum ab ecliptica discessus, motu quodam libra-  
tionis, seu in lineam rectam; cuius est, in medio velocissimum esse,  
circa extrema tardissimum. Fuit igitur polus æquinoctialis, seu  
eclipticæ circa Albategnij tempora, in medio ferè huius libratio-  
nis motu, hoc autem seculo circa alterum terminum tardissimum,  
quo in loco maxima vnius poli ad alterum fit appropinquatio. Sed  
suprà posuimus, per motum æquinoctialis saluari motus stellarum  
fixarum, & diuersitatem annuæ quantitatis ab æquinoctijs, & hu-  
ijs poli sunt vertices terræ, à quibus poli eleuationes sumuntur. Vi-  
des igitur, vt te, doctissime D. Schonere, obiter moneam, quales  
hypo-